AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 60r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



duo pisces · andree retulit responsionem · quod uero aduinxit ·
nisi forte nos eamus & emamus in omnem hanc turbam escas ·
uidetur ad responsionem philippi pertinere · nisi quod de du
centis denariis tacuit · quamquam & ipsius andree sententia
potest hoc intelligi · Cum enim dixisset · est puer unus hic
qui habet · v · panes ordeaceos · & duos pisces · aduinxit etiam
ipse · sed hec quid sunt inter tantos · Hoc est dicere · nisi forte nos
eamus & emamus in omnem hanc turbam escas · Ex qua uni
uersa uarietate uerborum rerum autem sententiarumque concordia
satis apparet salubriter nos doceri · nichil querendum in
uerbis nisi loquentium uoluntatem · cui demonstrande inuigi
lare debent omnes ueridici narratores · cum de homine uel angelo
uel de deo aliquid narrant · horum enim uoluntas uerbis promi
potest · ne de ipsa aliquid inter se discrepent · Sane pretermit
tere non oportet hoc loco intentum & ad cetera que talia
forte occurrerint facere lectorem · quia lucas dixit quinqua
genos iussos esse discumbere · marcus uero & quinquagenos et
centenos · Quod hic ideo non mouet · quia unus partem dicit ·
alter totum · Qui enim etiam de centenis retulit · hoc retulit
quod ille pretermisit · Nichil itaque contrarium est · Verum tamen
si aliis de quinquagenis tantum commemoraret · alius tantum
de centenis · ualde uideretur esse contrarium · nec facile dinosceretur
utrumque dictum esse · unum autem ab altero · alterum ab altero esse com
memoratum · & tamen attentius consideratum inueniri de
buisse quis non fateatur · Hoc ideo dixi · quia existunt sepe
aliqua huiusmodi que parum intendentibus & temere iudican
tibus contraria uideantur · & non sint · Sequitur matheus & dicit ·
Et dimissa turba · ascendit in montem solus orare · Vespere
autem facto · solus erat ibi · Nauicula autem in medio mari